



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

§. Illum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

SUMMARIUM.

1. *Ut Rector ecclesie parochialis, non promotus ad sacerdotium, poenam priuationis incurrat, requiritur, ut annus, elapso septennio integer sit completus.*
2. *Pœna legalis statuta ex non facto intra certum tempus, non incurritur, nisi illud tempus integrè sit elapsum.*
3. *Et annus ille non currit legitimè impedito.*
4. *Non promotus se eâ conditione accepit parochiam, ut fructus interea perciperet, postea eam dimissurus, reuertitur ad restitutionem ipsorum, & in defectum huius promouens, qui eâ mente contulit, ecclesiam debet seruare indemnem.*

NOTANDVM Vn. Pœna legalis statuta, nisi intra certum tempus aliquid factum fuerit, non incurritur, antequam integrè elapsum sit. Hac de re dixi in lib. 3. Th. moral. tr. 4. c. 16. n. 12.

§. Annus.

Tempus enim, intra quod promotus ad parochiam sacerdos fieri debet sub pœna priuationis, currit à die habitæ possessionis pacificæ, aut si per prouisum stet, quò minus eam consequatur. Sed tempus hoc anni non numeratur, dum aliquis legitimè impeditus est sacerdotium consequi.

NOTANDVM I. Prouisus, possessionem non consecutus, excusare se non potest, si per eum stet, quò minus consequatur. Ita etiam habetur in c. licet, 28. de præb. hoc lib. Sed **QVÆRIT** hic Gl. primò: Quid si prouisus non omnium reddituum, sed partis tantum possessionem nactus sit, tenebiturne ad sacerdotium promoueri? Et bene respondet affirmatiuè, si liberum curæ exercitium habeat. Vide Gl. in c. Si tibi concessio, 26. hoc lib. de præb. in fine.

QVÆRITVR secundò: Quid si statim post adeptam possessionem parochiæ, lis illi moueatur, curritne illi tempus anni? Respondet, Quòd non: Secus est, si aliquam-

diu, videl. vno, aut altero mense, pacificè possedit, & postea illi lis super parochia mota fuit.

NOTANDVM II. Tempus statutum non currit legitimè impedito, si agatur de pœna, aut quasi pœna incurrenda. Ita etiam habetur suprâ hoc lib. & tit. c. quàm sit. 6. in fine, & dixi ibi.

Ob eam causam monet hîc Gl. ver. iusto impedimento, consultum esse, ut parochus, qui ordinationem vltra annum distulit, prius vocetur & audiatur, quàm parochia eius, tanquam ipso iure vacans, alteri conferatur: cum ille excusationem iusti impedimenti afferre possit, & ideo collationem alteri factam rescindere.

§. Cæterùm.

Si quis parochiam accepit, animo non suscipiendi sacerdotium intra annum, sed fructus interea percipiendi, parochiam postea dimissurus, is, nisi voluntatem fraudulentam mutet, ad perceptorum fructuum restitutionem obligatur. Hanc constitutionis partem plenè explicauit lib. 4. Th. moral. tr. 2. c. 14. n. 9. & 10.

§. Illum.

Qui parochialem ecclesiam alicui conseruit, sciens, quòd non habeat intentionem sacerdotium intra annum suscipiendi, præter diuini Numinis offensam, etiam obligationem erga ecclesiam contrahit, ut eam indemnem seruet. Id verò Gl. ver. indemnem, non malè intelligit in defectum parochi fraudulentum, ut si is non restituat fructus, quatenus ecclesia læsa est, talis obligatio redundet in promouentem, quippe qui particeps est commissæ fraudis.

CAPITVLVM XXXVI.

Si Abbatem.

SUMMARIUM.

1. *Abbas eligitur in Episcopum, sed trans-*

Hhh 3

170